

Ann. VII.

Num. XII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italianam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF

Apud "KRONIKA RODZINNA", Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM

Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

Apud "KRONIKA RODZINNA", Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM

Krakowskie Przedmiescie, 6

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS

AMERICAE SEPTENTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

LONDON W.

28, Orchard Street.

NEW YORK

52, Barclay Street. 436, Main Street.

CINCINNATI

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL

1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

Ad B. V. Mariam Adamicae labis immunem anno L a dogmate Mariali promulgato.

VI. Id. Decembr. M DCCC LIV.

De "Doctore Immaculatae Conceptionis",

Deiparae Immaculatae imago quae in Vaticana basilica asservatur.

De Immaculata Deiparae Conceptione.

Francisci Podesti tabula dogmaticam Immaculatae definitionem referens.

Virginea conceptio quae potuit in Deiparae vita.

Columna Immaculatae Conceptionis Romae.

De Bullae *Ineffabilis* exemplaribus.

Acta pontificia: Sanctissimi D. N. Pii PP. X allocutio habita in Consistorio d. XIV mens. Novembbris M DCCC IV.

Annales: Russicum bellum. - Hullensis casus. - Anglorum irae remissae. - Mauritanorum atque Turcarum res. - Austros inter atque Italos discordiae. - Theodori Rooseveltii confirmatio. - Brasiliana seditio. - Regale iter. - Novus de pace conventus.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Aenigmata.

In secunda operculi pagina:

"Sociis et lectoribus Commentarii nostri humanissimus",

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

M DCCCCIV

Sociis et lectoribus

Commentarii nostri humanissimis.

Novo adventante anno, quem VIII *Vox Urbis* inscribere gloriabitur, non quidem, ut plerumque assolet, nova et magnifica promitteremus; non enim sociis et lectoribus, qui constanter in itinere, neque eodem brevi atque expedito, nos comitati sunt, magniloquis verbis temerariisque promissionibus illudere opus est nobis, sed tantum ea adnotare quae in eorum veram utilitatem adducere constituimus.

Vox Urbis itaque in annum MDCCCV ea erit, quam socii voluerunt: commentarium menstruum, qui non unum Urbis augustae matris sermonem, sed omnem cultum et humanitatem referat, eaque omnia quae inde, veluti ex radiationis centro, animos usque a longissimis orbis partibus amice cum genitricis animo coniungere valeant. Disputationes igitur, quae plerosque populos aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones suum locum apud nos proximo etiam anno invenient, atque simul nuncii, significaciones, et documenta, quae tum circa catholicam rem, quam tueri gloriamur, tum circa eventus peculiari nota dignos, in varietate quamquam, *simplex dumtaxat et unum* opus reddant nostrum. Fasciculus ipse, quem hodie vulgamus, confirmat profecto quanta cura, quanta alacritate munus iamdiu susceptum persequamur, singulariter insignia facta illustrandi, quae per annum occurrant; haec etiam minime intermittamus, eoque magis quod iubilare hoc tempus Marianum occasiones sit praebiturum qua specimen religionis artisque nostrae exhibeamus; eoque facilius quod sorte contigerit ut recensio illa christiana pietatis in Deiparam ab ipso ARISTIDE LEONORI equite, Commentarii nostri possessore, in Late ranensi palatio Pontificiae «commissionis» mandato fuerit composita.

Sed aliud quoque aperte nuntiandum, quod non paucorum sociorum desiderium explebit; articulos scilicet brevi a nobis iri editum, in quibus, quasi in parva tabula, simplici eoque facili stylo, descriptionibus, narratiunculis, dialogis, argumenta vitae maxime communia tractentur, unde liceat colloquia latine inire atque alere. Ita finem illum supremum, ut latinus sermo universalis, prouti dicunt, educatur, non modo obliuiscemur, imo etiam propius prospiciemus.

Maiora vero comparavit administrator; qui non modo immutatum reliquit pretium subnotationis, quod est in Italia lib. 4, 80; ubique extra Italiam lib. 6, 25 (doll. 1, 25; sch. 5; march. 5; rubl. 3; cor. 6, 25); sed ad magis magisque commentarium vulgandum curis creditum suis rationes vere favorabiles cavit, quae sequuntur:

Si quis socios novos duos comparaverit, pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotationem gratis omnino sibi habebit;

eoque bono gauderi poterit ipse subnotator novus, qui, sua vice, eadem gesserit. Quum iste scilicet socios alios duos nobis acquisiverit, facultas ei erit non duorum pretium, sed unius tantum mittendi, atque alterum faciendi suum, ut pretio pro subnotatione iam ante misso sese resarciat. Neque eum pudor teneat novos subnotatores de favore ipsi concesso aliquo modo certiores futuros: hi enim receptionis schedulam, veluti si pecuniam directe per se miserint, regulariter accipient. Haec una conditio, ut novi hi subnotatores intra menses duos, a propria cuiusque subnotatione decurrentes, requirantur, utque omnia ad Aristidem Leonori equitem (Romam in Italia, via Alessandrina, 87) recto tramite mittantur.

Quid plura?... Plura tamen administrator concedere sociis voluit, eaque paene incredibilia; id enim effecit, ut *VOX URBIS* socii e loco domicilii sui in Urbem, atque inde in domicilium suum reverti gratuito possent. Id iis paratum est — bibliopolis, uti patet, exceptis — qui ante Iulium mensem an. MDCCCV sexaginta novas subnotations collegerint earumque pretium integrum ad administrationem miserint. Societati itinerum notissimae Cook et Son munus commissum; ea, ubi primum a nobis certior facta erit, epistolarum commercium cum socio inibit, omniaque disponet ut is nullo impendio ab *Europae* loco ubi vivit Romam usque, atque Roma in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus, iter aggrediatur. Estne difficile nimis sexaginta socios novos comparari? En rursus benigne succurrit administrator: qui triginta tantum collegerit, dimidiatum pretium itineris habebit.

Sunt tamen qui eiusmodi curas negligent: num his praemium nullum erit? Atqui erit sociis omnibus, qui ante expletum Februarium mensem an. MDCCCV debitum solverint suum; idque, more nostro, pulcherrimum: *imago heliotypice expressa metr. 0,32 × 0,45 Pium X Pontificem referens sacris ad solemnia indumentis ornatum atque benedicentem.* — Quod si denique socius tabulam illam maluerit metr. 0,22 × 0,45 iam in nostrum commodum unice superiore anno desumptam, ac Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pii PP. IX an. MDCCCLVI peractam, quum exemplaria nonnulla apud nos sint adhuc, eam requirat, nosque, donec possibile erit, ei morem geremus.

Restat nunc ut sollicitudini nostrae sociorum favor in dies crescens respondeat.

Vox Urbis.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIIUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

AD B. V. MARIAM

ADAMICAE LABIS IMMUNE M

ANNO L A DOGMATE MARIALI PROMULGATO.

*Quotquot infecta sumus ex Adami
Stirpe prognati, geniti paternum
Hausimus morbum, sacra cui mederi
Debuit unda.*

*Ne tamen quidquam timeas, Maria!
Nulla te sontis tetigit parentis
Noxa; tu probrum pia diluisti
Filia matris.*

*Adfuit custos tibi procreandae
Conditor, ne tu generis, vel uno
Temporis puncto, paterere damnum;
Adfuit uni.*

*Quanta, vix ortae, tibi iam renidet
Sanctitas! Hevae decus innocentis,
Et iubar vincis, Seraphina quo frons
Igneal fulget.*

*O faces nunquam rutilare segnes!
O nitor nulla tenuatus umbra!
O Dei princeps opus, efficacis
Gloria dextrae!*

*Ipse divinus Faber, ut decorum
Hunc tuum vidit, stupuit; suamque
Esse te Sponsam voluit, suamque
Esse Parentem.*

*O mihi salve, pede quae potenti
Colla trivisti Stygii Draconis!
En tuos plaudens agit Urbs et Orbis,
Diva, triumphos.*

*Plausibus terrae PIUS inter astra
Assonat NONUS, tibi qui decorum
Texuit sertum, sine labe quo te
Credimus ortam.*

*Assonat, qui nunc tumidas per undas
Dicit ad portum, DECIMUS PIORUM,
Mysticam Christi, patiens vigilque
Navita, cymbam.*

*Tu sed aerumnas miserata nostras,
Ah! laboranti fer opem Carinae;
Sterne, quae fauces vomuere Averni,
Monstra marina.*

*Bella, quae Gallus male christianus
In Deum movit, remove benigna;
Pax et in campos Asiae cruentos
Alma revertat.*

*Discat et, per te, genus omne nostrum
Non voluptates luteas sitire;
Sed, quibus solis homo fit beatus,
Gaudia sancta.*

FRANC. XAV. REUSS.



VI ID. DECEMBR. M DCCC LIV.

FAMA orbem pervaserat hanc revera futuram esse diem, quam fecisset Dominus, quae gaudium in caelis et terrae universae laetitiam pareret; non itaque mirandum magnum Patrum Purpuratorum atque Antistitum numerum Romanum cum advenis compluribus convenisse, ut sollemnibus quae in Vaticano templo peragenda essent adstant. Caeli ipsa temperies laetitiae huius particeps quodammodo visa est; quamvis enim pluviae per dies aliquot indesinenter cecidissent, aurora tamen diei, quasi ad industias se consentire appareat ac parcere hominum multitudini, quae ad Vaticanum undique circumfunditur.

Hora octava cum dimidio, congregatis iam ante in Xystino sacello Cardinalibus, Episcopis Antistitumque collegiis, Pius PP. IX pontificias induit vestes: fit inde pompa, quae per scalas, quas regias vocant, Petri basilicam, Sanctorum intercessionem invocans petit, splendido illo apparatu, qui maxime festorum dierum proprius est, quem apparatus alias in *Voce Urbis* descripsimus (1).

Pontifex ad aram suam pervenit, atque in proprio solio assidet, dum ad eius pedes collocantur Archiepiscopi, qui omnes, etsi non fuerint, Pontificie solio adstantes ex voluntate supremi Pastoris tum creantur. Canitur hora tertia; atque sacrificio a Sanctissimo incepto, post recitatum Evangelium, eminentissimus vir Sacri Senatus decanus — ex nobilissima familia Macchi ortum duxerat — comitantibus Archiepiscoporum et Episcoporum decanis atque duobus aliis archiepiscopis, altero e Graecorum ritu, altero ex Armeniorum, ad solium accedit, ibique nomine Ecclesiae Catholicae postulat ut supremum atque infallibile apostolicum verbum declarat, revera Deiparam omni labe iam ab eius conceptu fuisse immunem.

Respondit Pontifex se libenter petitioni satisfactum, postquam tamen Sancti Spiritus in re tanti momenti auxilium fuerit religiose invocatum. Itaque cantari incipit hymnus *Veni Creator*, quem, veluti interna vi actus, populus innumerabilis multiplicato sono reddit. Succedit silentium, plane animorum trepidationem demonstrans; nec est diurna expectatio; Pius enim PP. IX stans atque habitu et voce vere divino spiritu inflatus dogmaticam definitionem enunciavit. O mirum! Nubila abrumpuntur, sole que improviso affulgens et per fenestram solio oppositam in templum descendens, vultum Pontificis tangit, atque veluti lucis corona involvit. Ecquis momenti illius animi commotionem verbis referat?...

(1) Cfr. an. VII, n. VI, pag. 44 et seqq.

Pontificio oraculo recitato, Purpuratorum Patrum deeanus ad solium iterum accessit grates aeturus, ac simul orans ut dogma nuper definitum publici juris per « bullam authenticam » faceret. Deinde Protonotarii Apostolici, inter quos S. Fidei Promotor, efflagitarunt, vellet Pontifex decreti tabulis subseribere; quibus ille annuit iuxta preces.

Absoluto Pontificis sacrificio, Ambrosianum gratiarum actionum hymnum Pontifex canere coepit; quem adstantes omnes prosequuntur sunt; deinde ad sacellum Xysti IV Pontificis Pius se confert, ubi Immaculatae Deiparae imaginem aureo imperatricis diademate cingit.

Interea nunquam mora intermissa in Urbe campanariae omnes turres ad sidera gaudii sonitus tollunt, et bellicorum tormentorum fragor ex Romana aree undique diffunditur....

DE "DOCTORE IMMACULATAE CONCEPTIONIS",

QUINQUAGENARIA illius memoria diei, qua Pius IX s. m. Pontifex solemnis fidei preconio Mariam Virginem a communi conceptus labe immunem edidit, hoc anno reurrente feliciter, visum est mihi peropportunum memoriam celebrimi revocare Viri, qui de hac ipsa Fidei doctrina ita est meritus praecellere, ut proprio velut oecabulo « Immaculatae Conceptionis Doctor » audiat. Ioannem Duns Scotum me dicere. Doctorem Subtilem et Marianum, eque ignorat? – Is enim quum ea vixisset aetate, qua homines etiam doctissimi, quid hac in re sentiendum catholice esset non viderent, imo in sententiam Mariae infensam abirent ut plurimum, tam invete, tamque dilucide rem difficilem enneleavit, ut celebri in sententiarum certamine Parisiis initio, doctrinae hostibus profligatis, egregia Victoria triumphaverit. Qui etiam moriens honori Virginis consuluit, amplissima post se relieta secta, ab ipsis nomine dicta, quae sententiam a principe propagnatam per consequentia euraret tempora et proveheret.



De huius hominis origine patrioque solo fere decertatum est aeque ac de illius summi viri, cuius in hunc modum meminit M. T. Cicero: « Homericum Colophonii eivem esse dieunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnai vero suum esse confirmant » (1). Nam de Ioanne Scoto et Hiberni et Angli et Scotti iamdiu inter se anicipiti exitu contenderunt. Litem tot annos, tot saecula protractam quis nunc tandem diremptam non gauderet? Iam vero diremptam edicere nunc causam possumus ob gravissimum in lucem nuper editum documentum (2), a scriptore Scoto ferme aequali confectum ideoque antiquitate – et fide etiam dicam – longe ceteris, quae proferri antea solita erant, auctoritatibus praestans: ex quo liquet (quod etiam melioribus auctoribus semper est visum) Scotum Hibernium eivem fuisse.

In Hibernia igitur ad Dunum urbem natus anno MCCCLXXIV, mature in Franciscalium coenobium eadem in urbe secessit. Qui enim paulo post philosophiae operam daret, nec tantum

(1) *Pro Arch. Poeta*, Cap. V.

(2) Cfr. opelam de *Vita B. Joan. Duns Scoti... a Mariano Florentino*, quam cum annotationibus edidit Genuae MCCCLIX P. Franciscus Paolini O. M. Legenti patebit nihil amplius de vera patria Scoti dubitandum esse.

quantum vellet proficeret, ad Mariam Virginem, quam eeu matrem tenerrimam a pueru venerabatur, moestus et supplex confugisse dicitur. Nec mora: adeo filio per visum benignissima Mater; solatur, reficit, admirabiles ingenii addit dotes: ea tamen lege, ut data occasione Eam ab origine immaculatam vindicaret. Vindicaturum se Scotus gratus spopondit; atque exinde difficultates in discendo nullas sensit (1).

Oxoniam deinde, optimarum artium ac disciplinarum iam tune laude florentem, ab Ordinis Praefectis mittitur: mos enim erat iis tem-



poribus Franciscalibus Hibernis pro eorum in sapientiam amore, iuvenes in spem sodalitatis suae succrescentes ad athenaeum illud destinare (2). Studiis heie singularis ingenii laude exactis, factusque magister celeriter antecellere omnibus visus est. Erat enim in Scoto ingenii vis acerrima, subtile sagaxque iudicium, eloquenti copiosa facultas; ita ut res vel altissimas maximeque reconditas facili negotio perspiceret atque explanaret. Erat praesertim in eo nescio quid supremum atque summum, quo res sive ad artes sive ad philosophicas theologieasve disciplinas pertinentes, ita attingeret, ut primas cessisse dicendus sit nemini. Quare ad eum audiendum, ex omnibus terrae partibus magistri iuxta et discipuli, ad plura millia (ut memoriae proditum est) confluabant.

Verum tanta celebritate famae non ad efferendum sese Ioannes, sed ad honorem augendum amplificandumque usus est beneficissimae

(1) Cfr. CAVELLUS, *Vita Scoti*, cap. I; WADDINGTON, *Annales* ad an. 1304.

(2) Cfr. *Irish Ecclesiastical Record* an. 1880, pag. 348.

Matris; cuius ab origine puritatis suadendae nullam non avidissime arripuit occasionem: primum Oxoniae statim ac magister creatus; dein Lutetiae Parisiorum, quo ab administratore sui Ordinis generali circa an. MCCC contendere iussus fuerat. Erat autem Lutetia tunc lumen quasi et oculus orbis terrarum, plena omnium artium ac disciplinarum, atque eruditissimis affluens hominibus. Verum tamen ad doctrinam quod attinet de immaculato Virginis Conceptu, Doctores si excipias ex Ord. Franciscalium seu Minorum, ceteros, ob auctoritatem praesertim S. Bernardi (1) et Aqinatis (2), longe maximam partem Scotus sibi tamquam e regione adversantes invenit. Itaque perquam ardoram suscipiendam sibi intellexit contentionem atque certamen, si quidem datae Virgini fidei constantem se probare vellet ac germanum.

Fervet, vehementius fervet in dies inter athenaei Parisiensis doctores, Scoto agitante, dissoluta difficillima quaestio: « Maria Virgo in conceptione diecenda sit a veteri Adami noxa libera, an non? » Si sit, ergo a veritate errare summi quidem doctores et magistri, quod eque posset suspicari? Dein (quod nefas) contra communem quasi itur sententiam. Sin autem non fuerit, quid de lucidissima illa et quasi necessaria ratioe inatione Ioannis a Scotia?... – Vehementior vero eum fieret omnium motus concursusque, res ad Summum defertur Pontificem. Hie et rei dirimendae praefinit diem, et lectos simul deputat viros, qui Sedis Apostolicae nomine actioni praessent. Indictus tandem advenit dies: Scotus ad certaminis locum dum pergit, ante quandam Virginis Deiparae e marmore effectam imaginem paulisper subsistit causam commendaturus: « Dignare me – inquit – laudare Te, Virgo sacra: da mihi virtutem contra hostes tuos ». Mirabile dictu! Statua illa marmorea caput, aientis in modum, supplicanti inclinat. Scotus igitur, caelesti confirmatus signo, spei animique plenus atrium quo tendebat ingreditur, quod atrium ob rei agendae gravitatem turba magna quam dinumerare nemo poterat Ioannes alter stipatum videt. Cuins adolescentiam (vix enim tertium et trigesimum agebat annum) ingens illa Doctorum corona contemplata, pars admiratione hominis, pars contemplatione afficiuntur. Sed annis liet invenis, doctrina canus fuit. Itaque etiam non quidquam ab tanto coetu postulare aliud videbatur quam cum Archimede (3) locum ubi pedem ponere, hoc est auditionis gratiam, ut mundum moveret. At vero non mundum solum, sed caelum meherele ipsum commovisse Scotum dixeris, ubi adversariorum argumenta omnia, quae sive ex ipsius rei ratione, sive ex scriptis Patrum, sive ex SS. Literis reportaverant, singula is e medio tulerit penitusque dissipaverit, sententiam vero undique statuerit, confirmaritque suam. Nimirum primum Apostolicae Sedis legati, deinde totus ille coetus divinum hominis ingenium eloquentiamque stantes ad aethera tollunt, elamantes quam maxime possunt: « Victor Scotus! » Cum Doctoribus populus laetitiam coniungit, atque ob tantum Mariae, hominum aligerumque

(1) Vid. *Ep. ad Canonicos Lugdonenses*, ubi festum Imm. Conc. vocat ritum, quem « Ecclesia nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio ». *Op. omnia*, vol. I, a p. 169, Venet. MDCCL.

(2) *Suum. Theol.*, III p., qu. 27, ubi docet « sanctificationem B. Virginis fuisse post animationem ». – Cfr. etiam CAIETANUM, *Comm. in eundem locum*. Eandem cum D. Thoma tenuit sententiam ALBERTUS M. III *Sent. dist. 3, art. 4*. Imo D. ipse BOAVENTURA haud aliter sensit; III *Sent.*, dist. 3, p. 1, qu. 2.

(3) Notum est illud Archimedis: Δός μοι πάντα βάθος τοῦ γάρ.

Reginae, per Joanne dio gestit totus. Pre Lutetia nunquam n

Huius victoriae er appellatus est: quan de rebus Parisiis p ecertior factus maxim Parisienses sententia nam condito hanc athenaei statutis su tant ne quis aliam te ut hanc totis viribus Virginis ab origine i adscriptis sociis in Iacobitarn, qui di moniis celebretur nunt. Anno autem M gradus academicos e possit, qui defensuru primaeva labo immiserit (2).

Hunc doctorum ag doctores alii atque al successu temporum Scotum communior e ginis Conceptione se non arduum atque pr fuerit asseclis certam instruxerat suos Sub ut cognitum est, tandem quem initio commem mamm Ioannis Duns S linguis oculendus in

« Usque modo – (u doctissimo viro) – us fulgentissimum sapie mum locum in scholam nunt, et academiam vit » (3).

Anno MCCC VIII a G eiscalium praefecto, C tere iussus, ut illie op promoveret, ut fidei gardosque propugnala Virginis Concep Alberti Magni disci multo magis quam ae vi Id. Novembr. dien

Cuius vita rebusque bratis, pace tua, ind modicum in virtutibus buit, commemorandis nemini ingenii conces eximiarum cultu viri Testes sunt antiquitate mire exhibent in De tem Deiparam ardent amabilem, in se ipsum Francisci patris paup giosse; e vestigio suis sitis; animi corporisqua etiam, uti accep pueli forma sibi app ptum ulnis suaviter Testis praeterea est po missa vox, quae Scot collocavit; testes de imagines, quas populo

(1) Hunc Scoti triumphu raceiolus, Scoti auditor, pri Neapolitano, deinde Archi an. MCCC LI, apud A. CUCHAI ritus Virginis, pag. 881.

(2) Id. ibid., pag. 678.

(3) *Epitome Anat. Mad*

ritatis suadendae
ipuit occasionem;
magister creatus;
uo ab administro
n. MCCC contendere
utetia tunc lumen
um, plena omnium
tque eruditissimis
men ad doctrinam
Virginis Conceptu,
Franciscalium seu
itatem praesertim
(1), longe maximam
e regione adver
am ardiam susci
tionem atque cer
ni fidei constantem
um.

in dies inter athe
oto agitante, dis
« Maria Virgo in
eteri Adami noxa
a veritate erra
et magistri, quod
(quod nefas) con
tentiam. Sin autem
ma illa et quasi
nis a Scotia?... —
t omnium motus
m defertur Ponti
praefinit diem, et
ui Sedis Aposto
ent. Indietus tan
certaminis locum
Virginis Deiparae
n paulisper sub
s: « Dignare me
acerata: da mihi
. Mirabile dictu!
tientis in modum,
itur, caelesti con
e plenus atrium
d atrium ob rei
igna quam dinu
s alter stipatum
vix enim tertium
ingens illa Do
bars admiratione
ficiuntur. Sed an
nus fuit. Itaque
coetu postulare
Archimede (3) lo
st auditionis gra
t vero non mun
rele ipsum com
i adversariorum
e ex ipsius rei
a, sive ex SS. Lit
e medio tulerit
tiam vero unde
ue suam. Nimi
s legati, deinde
is ingenium elo
era tollunt, clau
« Victor Scotus! »
itiam coniungit,
um aligerumque

ses, ubi festum Imm.
it, non probat ratio,
nnia, vol. I, a p. 169,
et "sanctificationem
cfr. etiam CAIETANUM,
D. Thomae tenuit sen
t. 4. Imo D. ipse Bo
dist. 8, p. 1, qu. 2.
μετα περ βού ζητει

Reginae, per Ioannem partum triumphum gau
dio gestit totus. Profecto laetiorem diem vidit
Lutetia nunquam nec clariorem (1).

Huius victoriae ergo Scotus « Doctor Subtilis »
appellatus est: quam appellationem S. Pontifex
de rebus Parisiis praeclare gestis per legatos
certior factus maxime probavit. Doctores autem
Parisienses sententiam Scotti faciunt inde suam:
nam condito hanc ad rem statuto, eum aliis
athenaei statutis sub iuramento servando, ve
tant ne quis aliam teneat opinionem; quin etiam
ut hanc totis viribus defendat. Festus vero dies
Virginis ab origine immaculatae, ut ab omnibus
adscriptis sociis in templis vel Corigerum vel
Iacobitarum, qui dicebantur, solemnibus cere
moniis celebraretur quotannis pariter decern
nunt. Anno autem MCCC LXXXIII ferunt ne quis
gradus academicos eodem in athenaeo sumere
possit, qui defensurum se Mariam Virginem a
primaeva labe immunem iuramento non pro
miserit (2).

Hunc doctorum agendi modum Parisiensem
doctores alii atque alii per Europam aemulantes
successu temporum similia decrevere: sic per
Scotum communior evasit in dies pia de B. Vir
ginis Conceptione sententia: non ita tamen ut
non arduum atque prolixum suscipiendum Scotti
fuerit asseclis certamen: sed armis satis validis
instruxerat suos Subtilis Doctor: itaque etiam,
ut cognitum est, tandem vicere. Pius enim Nonus,
quem initio commemoravi, anno MDCCCLIV ult
mani Ioannis Duns Scotti operi posuit manum,
linguas occludens in aeternum adversantium.

« Usque modo — (ut iam cum Haroldo loquar
doctissimo viro) — usque modo Doctor Subtilis,
fulgentissimum sapientiae et pietatis iubar, pri
mum locum in schola parisiensi gloriose susti
nuit, et academiam illam plurimum illustra
vit » (3).

Anno MCCC VIII a Gondisalvo, supremo Franc
iscalium praefecto, Coloniam Agrippinam pet
tere iussus, ut illic optima inter Fratres studia
promoveret, ut fidem contra Beguinios Bui
gardoque propugnaret, ut piam de immacula
ta Virginis Conceptione sententiam contra
Alberti Magni discipulos stabiliret, virtute
multo magis quam aetate maturus, eodem anno
vi Id. Novembr. diem supremum obiit.



Cuius vita rebusque gestis nunc breviter adum
bratis, pace tua, indulgentissime lector, adhuc
modicum in virtutibus, quas sane magnas ha
buit, commemorandis immorar. — Hie enim ut
nemini ingenii concessit contentione, sic nec in
eximiarum cultu virtutum secundus ulli fuit.
Testes sunt antiquitatis tabulae, quae Scottum
mire exhibent in Deum pium; in Virginem au
tem Deiparam ardentissimum; cum in ceteros
amabilem, in se ipsum durum inclementemque;
Francisci patris paupertatem sequentem religiose;
e vestigio suis gerentem morem praepo
situm; animi corporisque inclytum sanctitate;
qua etiam, ut accepimus, Christum Dominum
puelli forma sibi apparentem e Matris suscep
tum ulnis suaviter merrit constringere suis.
Testis praeterea est populorum per aetates trans
missa vox, quae Scottum iamdiu inter superos
collocavit; testes denique multae multis locis
imagines, quas populorum religio ad templorum

(1) Hunc Scotti triumphum fuse describit Landulphus Ca
racciulus, Scotti auditor, primus Episc. Stabiarum in regno
Neapolitano, deinde Archiepiscopus Amalphitanus, mortuus
an. MCCC LI, apud A. CUCHARIUM Episc. Acernensem *Elucidatorius Virginis*, pag. 881.

(2) Id. ibid., pag. 678.

(3) *Epitome Anat. Waddingi* ad an. MCCC VIII.

altaria cum insignibus Beatorum collocavit (1).
— Sed silerent licet omnes linguae atque litterae,
illud semper extra dubium erit positum,
eum praestantissimo et sanctissimo enique iure
comparandum esse, quem ad Mariam Virginem,
hoc est puritatem ipsam tuendam Deus Ipse
misericordia: « Fuit homo missus a Deo cui nomen
erat Ioannes »: semperque verum erit, quod de

(1) Cfr. *Acta Processus Beatificationis et Canonizationis*
Ven. J. D. Scotti in Curia Nolana constructi anno MDCCX:
item Coloniae Agrip. an. MDCCVI

Maria atque Scoto cecinit olim poeta quidam
noster (1):

Scoti luce Maria nitet, Scotusque Mariae
Reddere concertat lucis uterque vices.
Victrix per Scotum Virgo concepta triumphat,
Virginis et Scotus iure triumphat ope.
Scotum Virgo sui patronum elegit honoris
Ut Scoto aeternus crescere possit honor.

G. C

(1) P. DANIEL CLEARY O. M. Hibernus an. MDCLV.



DEIPARAE IMMACULATAE IMAGO

QUAE IN VATICANA BASILICA ASSERVATUR.

X RSTUS PP. IV an. MCCCC LXXIX, peculiari
« bulla » emissis, Virginis sine labe conce
ptae sacellum id in Vaticana basilica dicabat,
quod deinde romana magnificentia ornatum,
sellisque circumdataum affabre ligno sculptis

canonicorum collegio, ut sacra ibidem perage
ret, addictum est. Erat tum, fuitque diu in po
sterum, in pariete aiae imminentे Simonis Ivert
tectorium opus crucem exhibens angelosque
adorantes, donec Petro Bianchi pictori, Bacicci
asseclae, cuius pingendi indolem reddidit, mu
nus commissum est pro eo tabulam collocandi
a se effingendam, quae Deiparam Immacula
tam exhiberet cui adstaret Ioannes Chrysosto

mus, doctor, cuius cineres sub ara asservantur, ac Franciscus Assisiensis, Antoniusque Patavinus, ex illo religioso ordine viri, qui praeter omnes Mariae Immaculatae gloriam indesinenter celebravit. Bianchi vero, iuveni admodum neque opere perfecto, vita funeto, Maneini eques suffectus est, qui tamen vix ae tabulam absolvit in ecclesiam S. Mariae Angelorum translatam vidit, quum in Vaticana basilica exemplum ex musivo opere positum sit.

In hoe itaque Pius PP. IX vi Id. Decembr. an. M DCCC LIV, post Immaculati Conceptus dogma decretum sollemini rito caput Virginis imperatricis corona redimivit; in hoc, post annos quinquaginta, siderum corona ex adamantibus distissima aptabitur, quam fidelium pietas comparavit.

DE IMMACULATA DEIPARAE CONCEPTIONE.

QUAE imminet iam solemnissimi diei fausta lux omnium animos tanta laetitia implet, cui parem vix unquam iuniores inter Christifideles experti esse credantur. Petri haerede a Vaticano solio monente, laetae feriae parantur in Urbe, quique eius ab aree spirat Fidei spiritus, iamiam catholicarum gentium suscit animos ubique. Gaudemus itaque omnes et iure exultamus. Festum enim diem Deiparae Conceptioni Immaculatae dicare idem est ac victoriā celebrare et triumphum, quae protarenti misero Eden in horto peccatori contra fallacem adversarium Deus ipse promiserat. Id enim significat Conceptus Virginis intaminatus, atque eo prodigo revera inventor mortis diabolus per mulierem quam vicerat, vicissim est vicius, atque verba impleta sunt Divina: « Ipsa conteret caput tuum ».

Deipara enim Virgo, Adae ipsa quoque et Evae filia, vitam ingressa est, quum, ne momento quidem temporis, spiritualem illam experiret iacturam, quae a prima creationis die, eiusvis animam arripit. Eius autem privilegii quae sit vis perpendere iam quisque poterit, dummodo satis consideret quae fortuna eos maneat, qui eaducam hanc vitam baptismatis aqua nondum abluti, etsi nullo errore gravati, nulla voluntaria culpa contaminati, nudi tamen omni merito, et ingrati Deo derelinquent. Iamque paene innumerabilis eorum exercitus est, qui antequam bonum vel malum fecerint ullum, baptismō carentes, ad Creatorem redeunt, quique vix tantum temporis vitae habuerunt, ut originalis culpae labem contraherent.

Et profecto: quot ethnicorum pueri adolescent et senectutis usque limites attingunt quin unquam rationis lumen iis affulserit? Quot vero prima die pueritia deedunt? Qui ut dinumerentur ad unum, nostras gentes omittere oportet, Islamiticos populos recensere, et Bouddhistas, et Sinenses, et insulas medio in oceano desertas. Maxime vero computandum est omnem terrarum multitudinem millies milia millium hodie vincere numerum, atque cogitare animo generationum infinitum prope flumen, cuius fluctus quadraginta iam a saeculis terram discurrunt et implent. Tanta ex


multitudine medium forte agmen ad Deum absque baptismo redit eam ante aetatem qua vel Deum cognoscere et diligere merito tribuitur, vel reiicere et aspernari culpae addicetur. Neque hisce satis; nam ex creatis a Deo hominibus in gremio mulieris plurimi profecto in lucem veniunt, at non pauci antequam lucem adspiciant, moriuntur. Iamque hisce obiter computatis, millies centena millia animarum habemus, quae una originali et communī culpa foedatae a vita cadunt. Quae vero eos manet conditio, ex culpa pendet quam Adam commisit, quamque ii omnes, quia filii eius sunt, gerunt, quam una Deipara Virgo, singulari privilegio, non habuit.


Modo autem, quaevis huinsmodi conditio futura sit, certum est tamen, eos divina visione

frui non posse, ac proinde, etsi animum habeant a Deo creatum et eius ad imaginem, Deo portiri unquam nequire. Eos parvulos tenuit Augustinus « aeterni ignis supplicio puniendos ». Alii contra id unum arbitrantur in re satis, parvulos Dei faciem nunquam esse visuros. At quum una sit hominis vera beatitudo, quae nostrae animae satiare appetitus valeat, idest beatifica Dei visio, unio animae cum Deo, certum manet semper homunculos illos bono suo praecepio et uno, non sua culpa sed contracta ex haereditate labe privari. Hoc valet, hoc interest originali culpa filios hominum nasci contaminatos.

Id itaque Virgini tantum non contigit, quae a primo temporis momento quo esse coepit, tota munda fuit, tota illibata ut area, quam Deus in-

colere deinde debet
humanī generis per
Privilegii ratio ha-
matrem suam volu-
taliū miseriae sub-
lius meliusque ap-
homines rebelles et
lum divini amoris,
eos a culpae ipsius
mam sibi gloriam,
esse voluit in mul-
rat, conceptione, e-
ut candida, ut abs-
lucem veniret, et





etsi animum habeant
imaginem, Deo po-
parvulos tenuit Au-
pplicio puniendo».
trantur in re satis,
quam esse visuros.
vera beatitudo, quae
petitus valeat, idest
anima eum Deo, cer-
culos illos bono suo
culpa sed contracta
ri. Hoc valet, hoc in-
hominum nasci con-
tetur non contigit, quae
quo esse coepit, tota
area, quam Deus in-

colere deinde debebat, hostis divinae gloriae et
humani generis per peccatum nunquam violaret.
Privilegii ratio haec fuit maxima qua Deus
matrem suam voluit donatam, ne communi mor-
talium miseriae subiiceretur. Hac fide immo-
lius meliusque appareret quantum fuerit erga
homines rebelles et omni culpa illigatos miracu-
lum divini amoris, quia Deus ut nasceretur et
eos a culpae ipsius servitudine vindicaret, pri-
mam sibi gloriam, primam in opere palmam
esse voluit in mulieris, quam matrem ele-
gerat, conceptione, et singulari miraculo fecit,
ut candida, ut absque macula conciperetur, in
lucem veniret, et viveret.



FRANCISCI PODESTI TABULA DOGMENTICAM IMMACULATAE DEFINITIONEM REFERENS.

EVENTUS tanti momenti, qui fuit Immacu-
latae Deiparae Conceptionis declaratio,
praeteriri quidem non poterat quin memoria
eius artibus celebraretur. Argumentum inter
alios aggressus est Franciscus Podesti pictor,
eui Pius ipse IX concessit ut in Vaticanis aedi-
bus rem posteris traderet. Aula assignata, quae
oecos sequitur Raphaelis Urbinatis penicillo in-
signes factos; totaque est de solleminibus eo
tempore habitis tectorio opere expressis. In al-
tero enim pariete Patrum concilium de Ma-
riae supremo dono disputantium est repre-
sentatum; in altero coronatio efficta imaginis

Deiparae quae in Xystino Vaticanae basili-
cae sacello colitur, atque a Pontifice illo die
peracta; in tertii denique, qui omnium est
maximus, inferiore parte similitudo ex vero
tracta beatissimi momenti illius, in quo Pius
Virginem ab omni labe immunem iam a con-
ceptu declaravit; in superiore autem caelorum
gloria expressa.

Stat Pontifex in solio laeva manu tenens
«bullam» dogmaticae definitionis; dextram in
altum convertit, convertit et oculos, quasi cae-
lestem Fidei spiritum invocans. Fides quidem
ei assentiri videtur, crucem indicans atque e
caelis emittens lucis radium, qui recta via Pon-
tificem petit eumque circumfundit. Sic artis af-
flatus naturalem eventum – sol enim revera,
uti superius diximus, nubila tum ex improviso
perfringens, clarissima luce sua vultum Ponti-
fici collustravit – cum tecta religionis signifi-
catione consociavit.

VIRGINEA CONCEPTIO QUAE POTUIT IN DEIPARAE VITA.

QUA die Omnipotens iusta ira permotus Adae
semen morte muletavit et fletu, Virginem
hac lege unam voluit immunem, voluitque dae-
monem a muliere superari, quia per illam ho-
mines ad ruinam compulerat. Serpenti itaque
haec Deus praefatus est (1): «Inimicitias po-
nam inter te et mulierem, et semen tuum et
semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu
insidiaberis calcaneo eius». Divina haec verba
ex una ab alia generatione, ex patribus a filiis
accepta, nunquam intermissa traditione per
saecula spem omnium gentium constituere. Nam
veterum populorum omnium religiones quamvis
idololatricae, Indorum Aegyptiorumque ac Per-
sarum suis in *theogonias* aliquid ex divinis spon-
sionibus derivatum lumen tenuerunt, hodieque
tenant. Hebraeorum autem populus, qui haeres
fuit divinae pactionis, miroque foedere cum
Deo coniunctus, variis vocibus promissam so-
spitatrixem salutabat, eam vocans «arcam san-
ctificationis», vel «virgam, quae iustitiae flo-
rem germinat», vel «arcanam hominibus por-
tam» (2).

Mulier itaque paene divina, quam celebre-
rimae iam mulieres adumbraverant, quam pro-
phetae praedixerant, quam solemnissimi in
Israel eventus praefiguraverant, quadraginta
post saecula in lucem venit. Sed antequam in
carne esset, ipso in genitricis alvo, triumphus
ille maximus in ea contigit, qui amissa ab ho-
minibus iura in integrum restituit.

◎

Originalis labes, ab Ada protoparente suscep-
ta, omnium malorum filii fuit prima fons et
origo. Malefici effectus eius tamen non ibi con-
stiterunt, sed ad omne humanum genus diffusa
sunt. Condemnationem et poenas haereditatem
nostram accepimus, animam, corpus, mundum
quem ineolimus, repleta malis sine numero
tenuimus. Perturbationes animi contra ratio-
nem insurgentes, rationem experimur elatam

(1) *Gen.*, III, 15.

(2) *Ps.*, CXXXI, 8; *Isa.*, XI, 1; *Ez.*, XLII, 2.

in Deum, reliquas vero creaturas in nos infensas invenimus. Inde peccatum, tristitia, dolor, clades, aegritudines, mors, totidem veluti monstra, enata sunt.

Una infaustae illius culpe Maria in lucem venit expers, communis miseriae haud socia, privilegioque illo miro originalis innocentiae, quo unus Adam frui valuit, ipsa tot post saecula donata est. Hac de causa, ut S. Thomas quoque tradit, Maria, ab omni culpa immunis, effectus quoque culpe nullos experta est: « Ipsa enim purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit: Nam quantum ad poenam... immunis fuit ab omni maledictione.


Itaque vita eius purissima exstitit, sanctissima, omnis privilegii omnisque prodigii plena. In ea

gavit: « Tenebras illas, - ut aiebat olim Isidorus Thessalonicensis (1) - et sepulchrum ut ita dicam, vitam e medio Virgo apparetur sustulit ». Iamque, dum novae parantur ab antiquo hoste per gentes nostras luctae et insidia, geminata haec ex commemoratione innovabit vires famulorum Maria, ut ea sustinere aerius valeant et vinevere.



Haec animo revocare iuvat his diebus, dum ad sacra tempula ubique terrarum Christifideles accedunt, atque obtestari Matrem ut victoriae suae nos participes contra ineurus hostis faciat, ut functi tandem laboriosa hae vita, Dei participes triumphi secum in caelis eligat.

(1) *Orat. in Nativitate Virg.*



Solemnia consecrationis columnae Immaculatae Conceptioni Romae dicatae.

(Ex tabula an. M DCCC LVI photographice expressa).

nulla in peccatum inclinatio, nulla concupiscentiae incitamenta, nullae immoderatae voluptates; at corpus animae subiectum, anima vero fidelis Deo, intellectum ab ignorantiae nebulis omnino detersum, eorū absque omni affectus errore, ita plane ut Chrysostomus irre asserere illud valuerit: « Magnum revera miraculum fuit Beata Virgo Maria » (1).



Qua vero de causa tot hactenus saecula excesserint, quin de supremo hoc Deiparae privilegio sententia infallibilis Romanae Sedis edetur, haec iam ab ipsa Virgine Sanctae Birgittae revelata est hisce verbis: « Placuit Deo ut amici sui pie dubitarent de conceptione mea, ut quilibet ostenderent zelum suum donec veritas claresceret tempore praordinato ». At contigit tandem aequalibus nostris hanc solemnem definitionem audire, nostraque aetate Pii IX oraculo lux haec nova Deiparae refusit, quae umbras saevum per saeculum inter perturbationes et perduelliones omnium populorum collatas fu-

COLUMNA IMMACULATAE CONCEPTIONIS ROMAE.

Ut memoria posteris traderetur beatissimi illius diei, quo Vaticanum oraculum Mariam omni labore iam a conceptu immunem edixit, Romae, ipsius Pii IX Pontificis iussu, monumentum positum est in foro, quod ab Hispania nomen habet, quum Apostolica Hispanorum legatio suam ibi sedem in propriis aedibus iamdi posuerit. Idem alias in *Vocem Urbis* retulimus, quum de Congregatione atque Collegio Christiano nomini propagando scriptimus (1); ad aedium enim prospectum monumentum sublatum est, quod hodie in lucem revocare constituimus, quum praesertim sorte contigerit eius consecrationis imaginem, perraram quidem, photographice tunc expressam oculis lectorum subiicie.

Monumentum itaque ab Aloisio Poletti architeco delineatum est, quem clarissimi artifices adiuvaverunt sanctorum Evangelistarum statuas in basi collocatas effigentes, itemque toreu-

(1) S. Io. CHRYS. ap. Metaphr.

(1) Cfr. an. VII, n. IX.

mata plinthi latera, capitulumque « compositum » ornantia, aeneam denique effigiem Deiparae Immaculatae in summo monumento posuit.

Quod quidem veluti praecipuo ornamento columna constat ex marmore charistio, forte in campo Martio an. M DCC LXXVII reperta, in longitudinem metr. 13,25 patente, diametro vero metr. 1,50. Columna quadra imposta ad octagoni formam, quam vicissim altera eiusdem formae sustinet: ex oppositis stylobatae primae lateribus trapezophora quatuor protenduntur, in quae prophetarum statuae incaubunt, qui de Beatissima Virgine clarissimi loquuti sunt: Moises, David, Isaias, Ezechiel; sub iisque versicula ex unoquoque deprompta leguntur: « Inimicitias ponam inter te et mulierem » (*Gen.*, III, 15); « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus » (*Ps.*, XLV, 4); « Ecce virgo concipiet » (*Is.*, VII, 14); « Porta haec clausa erit » (*Ezech.*, XLIV, 2).

In plinthi inferioris lateribus toremata insculpta: et somnium S. Iosephi, et Maria in caelis corona redimita, et dogmatis definitio, Maria denique ab Angelo salutata; dum in superiore eminent hinc Pii PP. IX insignia, inde inscriptiones, altera Angelicam salutationem, altera eventus memoriam referens, verbis quae sequuntur:

MARIAE VIRGINI
GENITRICI DEI
IPSA ORIGINE
AB OMNI LABE IMMVN
PIVS VIII P. M.
IN SIGNIS PRAECONII
FIDE CONFIRMATA
DECRETO Q. D. E. VI. EID. DEC.
A. MDCCC LIII
PONEND. CVRavit
AERE CATH. ORBE CONLATO
AN. SAC. PRINCIPAT. XII
ALOIS. POLETTIO, ARCHIT.

Columnae ima pars aeneis meandris redimitur, qui venustiorem quidem faciunt; suprema in capitulum, ut diximus, compositum desinit, super quod circularis tollitur basis Deiparae imaginem sustinens. Haec orbi nititur, vicissim quatuor Evangelistarum emblemati suffulto; Virgo ad ritum precantis pro hominibus, distentis brachis oculisque ad caelum sublati, efficta, ac simul inferni serpentis, dimidiatae lunae involuti, conterens caput.

Primo monumenti lapide iaeto die vi mens. Maii an. MDCCCLV, columna, magna adstante populi multitudine erecta est die xviii mens. Decembris an. M DCCC LVI; denique proximo anno die viii mens. Septembris monumentum ab ipso Pontifice, cuius solium in maeniano Hispanicae legationis surgebat, picturis, sculpturis, scriptisque ornato, est consecratum pompa solemnis sima, quam qui imaginem a nobis relatam intuetur mente concipere facile valet.



Paucos post a dogma suavis labore immuni edit manus, vir in deperitissimus, sumfieem instabat, ut dum aggrederetur rimae, eni a primatum est « Ineffabile testimonium characteribus edit natissima, quae ei genti foret, et similem fientissimum monlarum consueta eduna semper est, puginae, sed theutonae quae a viro imperio non possunt. Pii I fuerant a viro Ostiensi et Veliter legii decano. Per rarum, vulgatae editae, omnibus pa lingnis, quorum e collectio apud Va monumentum insiglorum.

Sed Pius IX P. motus, tum ut fidei gloriae magis Carolus Piccoli profici ad unguem ius in latinas litteras « stum, in Regesto P. plumbi sub sigillo ac exornandum si multiplicibus pictu ipse Carolus Piccoli neaverat. At quisque artis, quae libros p. ficultates, non mirum nonnullas pa morte, immatura qu vix inchoatum opus adeo iam fecerat o cile possent haered eius aequare. Nam e notae primam omn mirabilis arte angeloribus omnibus ex primum illud verbu

Caroli illius autem Cellinius, romanus frontem totius libri folia pariter comple ne ab hoc quidem immaturo fato ipse collaerymatus ab e gendi artem admir

Tertius itaque a Belisarius Gioia, q. calliditate opus eu partes a toto aber semper, licet varian haec quidem vir a

DE BULLAE INEFFABILIS

EXEMPLARIBUS.

PAUCOS post annos, ex quo Pontificis iussu dogma suavissimum de Maria a primaeva labe immuni edictum est, Carolus Piccoli, Romanus, vir in delineandi arte et in pictoria peritissimus, summa prece apud ipsum Pontificem instabat, ut opus munificentissimum edendum aggredieretur. Erat hoc ut Bullae celebrimae, cui a primo verbo, iuxta morem, nomen datum est « Ineffabilis », quae de definito dogmate testimonium ferebatur aeternum, latinis characteribus editio fieret nova, pariterque ornatissima, quae et facilis et pervia cuivis legenti foret, et simul tantae definitionis magnificantissimum monumentum maneret. Nam bullarum consueta editio alia quidem omnino et una semper est, pergamaceae siquidem paginae, sed theutonicis characteribus conscriptae, quae a viro imperito legere conanti paene legi non possunt. Pii IX ad solium haec expedita fuerant a viro Cardinali Vincentio Macchi, Ostiensi et Veliterno Episcopo et Sacri Collegii decano. Peracta vero conscriptione littarum, vulgatae illae sunt et descriptae et editae, omnibus paene orbis terrarum exhibitis linguis, quorum exemplarium ditissima sane collectio apud Vaticanum tabularium iacet, monumentum insigne pietatis omnium populorum.

Sed Pius IX Pontifex dupli sollicitudine motus, tum ut fidelium pietati, tum ut Marianae gloriae magis magisque consuleret, quam Carolus Piccoli proposuerat operam, eam perfici ad unguem iussit. Ex theutonicis itaque in latinas litteras « decretalis » exemplar augustum, in Regesto Pontificis religiosissime voluit plumbi sub sigillo asservatum, describendum, ac exornandum simul mirabili pictoria arte, multiplicibus picturis iuxta specimina, quae ipse Carolus Piccoli, rei anctor, primum delineaverat. At quisquis peculiaris huius pictoriae artis, quae libros pingit, novit tantummodo difficultates, non mirabitur, si audierit Carolum illum nonnullas paginas vix perfecisse quum morte, immatura quidem, praereptus est atque vix inchoatum opus reliquise. Splendidum vero adeo iam fecerat operis initium, ut non ita facile possent haeredes laboris magnificentiam eius aequare. Nam et primi ipsius verbi initiales notae primam omnino paginam compleverant, mirabili arte angelicis figuris et exquisitis coloribus omnibus exornatae, omnemque locum primum illud verbum, « Ineffabilis » obtinuit.

Caroli illius autem dignus aemulus Hannibal Cellinius, romanus et ipse, inventus est, qui frontem totius libri creavit et peregit, aliaque folia pariter complevit. Haud multum tamen ne ab hoc quidem opus perfectum est; nam immaturo fato ipse quoque sua vice concidit, collacrymatus ab omnibus, qui nostram pinguenda artem admirantur aut diligunt.

Tertius itaque ad rem explendam accessit Belisarius Gioia, qui mira pariter arte atque calliditate opus curavit ut unum esset, neve partes a toto aberrarent, sed unus liber unam semper, licet variam, faciem portenderet. Fecit haec quidem vir alacer, imo perfecit; triennio

enim postquam inita res fuerat, eam anno M DCC LXXXII absolvit, quum iam quatuor ab anno Pius PP. IX ad caelum migrasset.

Liber itaque membranaceis paginis sexaginta quatuor, triginta annis absolutus, summis expensis summorumque virorum ingenio et opera perfectus, de Romani Pontificis munificentia satis superque testatur. Quem sive Pius IX qui incepit, sive Leo XIII qui absolvit inter multiplices atque varias sui cuiusque regni enras, vix dicere est quam gratum habuerint. Hic vero felicis recordationis Pontifex, immenso quasi gudio gestivit, quum die Immaculato Deiparae conceptui sacra anno M DCC LXXXII postremae libri paginae subscribere valuit, quo praecedentibus paginis confirmationis auctoritas additur et declaratur. Diploma hoc bullam universam concludit, atque narrat Leonem Episcopum Servum Servorum Dei, qui, ut ille meminit, singulari Dei favore huins Dogmatis proclamationi solemniter adstiterat, curasse litteras illas Apostolicas « Ineffabilis » quibus tantum dogma vulgatum est ad fideles, iuxta mentem et iussum Antecessoris ex originali exemplari describi « ne lectioni tanti monumenti utpote ab usu communi remotae difficultas ingeneretur »; transumptis denique a novo hoc exemplari descriptis atque sigillo notarii munitis dat atque tribuit plenam fidem. In fine voluminis bulla aurea sigillum impressum est. Postremo Aloisius Cristallinus bibliopola, omne volumen simul consutum binis frontibus clausit splendidis aureis signis ornatum, et figuris auro ignefucatis, quae tam pretioso documento non indignam custodiam fecerunt.

Nunc volumen illud magnificent Vaticana biblioteca asservat visitantibus hoc praesertim anno, visu gratissimum, utpote solemnissimae benedictae diei memoria, cuius hodie iubilarem lucem celebramus.

ACTA PONTIFICIA.

Sanctissimi Domini Nostri Pii PP. X allocutio habita in Consistorio d. XIV mens. Novembbris M DCCC IV.

Venerabiles Fratres,

Duplicem, nostis, ob causam amplissimum Collgium vestrum ad Nos convocavimus, ut de duobus Beatis viris in Sanctorum album rite referendis, simulque de novis creandis Episcopis hodierno die vobis ageremus. Utraque res cum sane magna, tum laeta atque iueunda: verum haud opportuna laetitia sunt adjuncta temporum. Nam praeter calamitosissimum belli incendium, quo plures iam menses Orientis extrema flagrant, quod quidem Nos, quae sumus et esse debemus in homines universos caritatem paternam, supplices obsecramus Deum ut restinguiri celeriter velit, propiora etiam quaedam sunt quae aegritudinem Nobis efficiant. Etenim a contemplanda christianarum excellentia virtutum divertere mentem cogimus ad ingentem hominum multitudinem, qui vix aliquam christiani nominis umbram retinent; quunque gestit Nobis animus, quod pastores bonos viduatis dare ecclesiis multis possumus, simul vehementer dolet, quod aliarum, nec ita paucarum, viduati consulere iam nimium diu prohibemur.

Facile intelligitis nationem hoc loco spectari eam quae, quum sit inter catholicas nobilissima, tamen alienis a religione studiis multorum commovetur iamdudum et iactatur miserrime. Scilicet eo processit ibi malarum rerum audacia, ut e domiciliis disciplinarum aulisque iudiciorum simularum Eius

qui unus est Magister aeternusque hominum Index exturbatum publice fuerit. In multis autem incommodis, quae ibidem Ecclesiam premunt, hoc in primis grave conquerimur, impedimenta omne genus inferri cooptationi Episcoporum: nisi quod graviora quoque agitari consilia videmus. Iamvero huius tantae offensionis idoneam causam frusta quaeras praeter illam, quam modo attigimus: nam quae in Apostolicam Sedem conficitur criminatio, non ipsam in conditionibus pactis mansisse, ea quidem quantum ab honesto, tantum distat a vero. Hanc porro propulsare calumniae labem in conspectu vestro, Venerabiles Fratres, necessarium ducimus, antequam ad ea, quae proposita sunt, accedamus.

Nomnilla memoramus ignota nemini. Superiore ineunte saeculo, quum terribilla novarum rerum procella, quae in Galliam incubuerat, veteri disciplina civitatis eversa, avitam late religionem affixisset, Decessor Noster inelytæ memoriae Pius VII et moderatores reipublicæ, ille quidem salutis animarum divinaeque gloriae causâ sollicitus, hi vero ut stabilitatem rebus ex religione quererent, ideo inter se foedere, pactionem fecerunt, quae ad sareienda Ecclesiae gallicæ damnæ, eamque in posterum tutelâ legum munientiam pertineret. Ad pactum autem conventum accessere deinceps solo civilis potestatis arbitrio organici qui vocantur *articuli*; at contra accessionem eiusmodi non modo Pius repugnavit recenti, sed qui consequuti sunt Romani Pontifices, oblati sibi opportunitate, praesertim quum eorum vis articulorum urgeretur, acerrime restiterunt. Id iure optimo, si quidem harum natura legum consideretur: legum, inquit, non pactorum; quippe consensio Pontificum nulla unquam intercessit. Igitur haec leges nequaquam publicam securitatem spectant, de quo genere cautum erat in primo pactionis capite: *Cultus publicus erit, habita tamen ratione ordinationum, quoad politiam, quas Gubernium pro publica tranquillitate necessarias existimabit.* Neque enim est dubium, si leges organicae continerentur hoc genere, quin eas, memor obligatae fidei, receptura esset et servatura Ecclesia. Nunc vero legibus istis de disciplina atque de ipsa doctrina Ecclesiae statuit; pugnantia conventis plura sanciuntur; abrogatisque magnam partem iis, quae in rei catholicae communione paeta essent, ecclesiastice potestatis iura vindicantur civili imperio: a quo proinde non tutela expectanda sit Ecclesiae, sed servitus. — At praestat ea, quae inter Apostolicam Sedem et rem publicam gallicanam convenerunt, partite perstringere.

Pertinent illa ad definiendas utriusque potestatis rationes mutuas. — Respublica quidem spondet Ecclesiae liberam religiosi cultus facultatem: *Religio Catholica, Apostolica, Romana libere in Gallia exercetur.* Eadem munere officio suo alienam declarat totam sacerdarum iurisdictionem rerum: tantum in hoc genere rata firmae vult decreta, quae *politiae* idest publicae securitatis nomine sanciuntur. Iamvero quum excipit ista, quorum non ita late campus patet, eo ipso confirmat, nihil se posse in cetera; utpote quae, quum supernaturelme vitam Ecclesiae attingant, terminos longe excedant civilis auctoritatis. Manet ergo, ipsa agnoscente et probante re publica, quidquid fidem moresque spectet, id omne in dominatu esse arbitrio Ecclesiae; ipsius esse instituta curare atque instituta tueri, quaecumque fidei morumque in catholicis sanctitatem conservent et foveant; ipsam propterea, nec nisi ipsam, posse populo eos praeficere, qui christiana principia et instituta vitae pro officio custodiant ac promoveant, administratos sacrorum dicimus et in primis Episcopos.

Nihilominus in hac re, nempe concordiae facilius retinendae gratia, aliquid de severitate juris sui remittit Ecclesia, facultatemque tribuit reipublicae eos nominandi, quibus episcopale mandetur munus. At vero facultas eiusmodi nequaquam valet aut valere idem potest, quod *institutione canonica*. Etenim assumere et collocare quempiam in sacra dignitatis gradu, eique parem dignitatì attribuere potestatem, ius est Ecclesiae ita proprium et peculiare, ut id cum civitate communicare, salva ratione divini munieris sui, non possit. Relinquitur ut concessa reipublicae nominatio nihil sibi velit aliud, nisi designare et sistere Apostolicæ Sedi quem Pontifex, si quidem idoneum et ipse agnoverit, ad episcopatus honorem promoveat. Neque enim ita nominatum canonica institutio necessario sequitur; sed ante religiose ponderanda personae sunt merita. Quae si forte obstent, quominus episcopatum Pontifex, pro conscientia officii, cuiquam conferat, nulla tamen lege cogi poterit rationum momenta patetfacere, quare non conferendum putarit.

umque « composi-
tique effigiem Dei-
no monumento po-

puo ornamento co-
charistio, forte in
reperita, in lon-
te, diametro vero
e imposta ad octa-
m altera eiusdem
stylobatae primæ
tuor protenduntur,
ae incumbunt, qui
rius loquuti sunt:
ochiel; sub iisque
prompta leguntur:
t mulierem» (*Gen.*,
naculum suum Al-
ce virgo concipiet»
ausa erit» (*Ezech.*,

ibus toremata in-
hi, et Maria in cae-
tatis definitio, Maria
; dum in superiore
signia, inde inscri-
alutationem, altera
s, verbis quae se-

GINI
DEI
NE
IMMVNI
M.
CONII
MATA
I. EID. DEC.
III
AVIT
CONLATO
PAT. XII
POLETTIO, ARCHIT.

s meandris redimi-
faciunt; suprema
compositum desinit,
r basis Deiparae
i nititur, vicissim
blemati suffulto;
ro hominibus, di-
caelum sublati,
pentis, dimidiatae
out.

acto die vi mens.
magna adstante
st die XVIII mens.
que proximo anno
umentum ab ipso
eniano Hispaniae
culpturis, scriptis-
pompa solemnis-
nobis relatam in-
e valet.

Ad haec, certas sollemnesque ad Deum preces Ecclesia pro summo magistratu civitatis adhibendas constituit; in quo amicam se civitati fore, qualisunque demum huius fuerit temperatio publica, pollicetur.

Ista quidem pactum habet, de quo loquimur, in praesens et futurum statuta: quod vero ad praeteritum tempus, transactionem continet ultro citroque compositam. Versatur haec in bonis Ecclesiae non multo ante detractis publice: quae bona Pontifex civitatis condonat; civitas autem fidem dat, praebituram se Clero sustentationem, quae cuiusque statum deceat. Agitur hic, ut appareat, de veri nominis contractu, quo quum certa praestatio pro re certa stipulata sit, non est dubium, tametsi illa conventio foedusque resolvatur, tamen ius manere integrum Ecclesiae aut rem repetere aut instam pro re praestationem exigere.

Exposuimus summa rerum capita, de quibus inter Galliam et Apostolicam Sedem, necessario maxime utriusque tempore, convenit: quisquis ex veritate res aestimat, iudex esto, ultra conventus non steterit.

Num Ecclesia ius datum reipublicae nominandis Episcopos unquam retractavit? Immo vero candidatos, quos respublica proposuisset, partem longe maximam, canonice instituit. Quodsi factum quanquamque est, ut aliquos non institueret, maximis semper gravissimisque de causis, eisque extra genus politieum positis, factum est; quas causas non semel ipsi magistratus reipublicae deinceps cognitas probavere: nimur ne religio, cui quidem Pontifex summam curam diligentiamque necessario debet, aliquid detrimenti caperet.

Iam de legibus, publicae tranquillitatis ratione perlatis, obseurum non est Ecclesiam in exercendo saerorum cultu, quod promiserat, praestitisse: eius ceteroqui illustris ea est et pervagata doctrina, Deum esse cuiusvis in homines potestatis fontem, ideoque civilium quoque iussa et vetita legum, si quidem iusta et cum communi bono coniuncta sint, sancte inviolateque esse servanda.

Nec minus aquam se fidamque impertiit reipublicae Ecclesia quaecumque usque adhuc exstitit constitutio temperatioque civitatis. Semper enim iis qui praeerant, quum de statuta formula Deum precaretur, non caelestem modo, quod caput est, opem, sed etiam civium optimorum gratiam conciliare studuit.

Denique quam fideliter transactionem de facultatibus suis factam custodierit, vel ex hoc intelligi potest, quod nemo unus molestiam ab Ecclesia ullam unquam passus est ob eam causam, quod ipsius bona ad hastam publicam quaesita possideret.

Quaerere iam licet, utrum civitas pariter, quae sua essent ex foedere officia, impleverit.

Statutum principio est, catholicae religionis exercendae liberam in Gallia facultatem fore. - At suppetere libertatem istam hodie dixeris, quando ad Pontificem, summus qui est magister et custos catholicorum nominis, interdictrum Episcopis aditus atque etiam missio litterarum, inseca Republica? Quando sacrorum Consiliorum, a quibus, Pontificis auctoritate et nomine, negotia Ecclesiae universae in Urbe Roma administrari notum est, spernuntur publice ac refutantur acta, quin immo ipsius actis Pontificis vix paretur? Quando id non dissimulanter agitur, ut nervi inciduntur viresque religionis, detrahendis iis, quae, Dei providentis nutu, praesto sunt Ecclesiae utilissima ad sumum fungendum munus adiumenta? Neque enim reputare, nisi magno cum angore, possumus religiosarum familiarum recentem cladem; quas quidem ad exterminandas finibus patriae haec una ratio valuit, avitae religionis in populo fantrices exstittae efficaces: non valuit ad retinendas, si minus ornandas ut oportebat, optimorum cogitatio meritorum, quae ab iis omni tempore essent in cives suos profecta. Eequid tam contrarium iunctae eum Apostolica Sede amicitiae ac foederi, quam haec tanta iniuria et contumelia eos affectos esse, quibus nihil habet Ecclesia carius? - Quin etiam ad ceteras id genus molestias ingens nuper cumulus accessit. Etenim certum accepimus circumferri edictum, quo Sodales illustri eiusdem familiae et quidem ratae legibus, ab ipsis dioecesum Seminariis, quibus magna cum salute sacri ordinis praesesse diu consueverunt, abire, exceedere inbentur. Hoc scilicet evasit promissa religioni libertas, ut Episcopis iam non lieeat, prout visum fuerit melius, institutioni prospicerere sacre iumentutis, idemque in negotio tanti momenti ac ponderis cogantur adiutores ab se, quos semper experti sunt optimos, segregare.

Quamquam illud multo gravius est ministerio Apostolico infectum vineulum. - Ipsa rei natura clau-

mat, quod diximus, institutionem canonicanam, praesertim si ad summum ecclesiastici ordinis gradum danda sit, non posse, salva maiestate religionis, cadere in quemquam, nisi qui pro moribus, ingenio, doctrina dignus tam celo munere videatur. Hac obstrictus sanctissima lege, Pontifex non omnes, quos respublica sibi designat, continuo ad episcopatum promovendos putat; verum probe explorato qualis quisque sit, alias, quos repererit idoneos, assumit, alias, quos minus, relinquit scilicet: admonitamque de consilio suo rempublicam rogat, ut pro illis quidem legitime incepta perficiere, his vero sufficiere meliores velit. Huiusmodi consuetudinem Apostolica Sedes usque ad nostram memoriam tenuit sine offensione, quandiu utriusque potestatis concordia stetit incolumis. Quid autem dudum respublica? Negat ius esse Pontifici repudiare quemquam ex iis, quos ipsa nominavisset; nominatos recipi promiseue vult omnes; propterea obstinat non ante sinere eos, qui probati sint Ecclesiae, canonice instituti, quam qui repulsam ab ipsa tulerint, iudem probationem ferant. Iamvero usque eo extendere vim nominandi, ut facultas, concessa Pontificis facta reipublicae, nativum et sacrosanctum Ecclesiae ius elidat perseruandi utrum qui nominati sint, digni sint, hoc profecto non est interpretari pactum, sed subvertere: contendere autem ut, si qui praeterantur, ne alii quidem canonica institutio detur, huc recedit admodum, nullos velle posthac constituи Episcopos in Gallia.

Quod denique ad eam attinet conventionis partem, qua honestate clericorum sustentationi consultum est, num ipsam servat Respublica, quum Episcopis aliisque saerorum administris, nulla habita quaestione aut iudicio, inauditis et indefensis, quod saepissime usuvenire nostis, legitimum victimum, ad libidinem suam, detrahit? Atqui non foederis tantum hic lex, sed iustitiae perfringitur. Neque enim civitas in eo, quod iustinmodi alimenta ministrat, putanda est voluntate gratificari Ecclesiae, verum portionem, nee ita magnam, debiti exsolvare.

Aegre induximus animum, Venerabiles Fratres, haec memoratu audituque tam tristia dicendo persequi. Nam moerorem, quem ex rebus Gallicis gravem patimur, etsi levari, communicando vobissem, intellegibamus posse, malissemus tamen silentio premere; etiam ob eam rem, ne tot pientissimis Ecclesiae filiis, quos in Gallia numeramus, aegritudinis morsum querimonia communis Parentis excuderet. Verumtamen iura sanctissima Ecclesiae improbe violata, ac dignitas praesertim Apostolicae Sedis alieno notata ermine, prorsus a Nobis expostulationem iniuriarum publicam requirebant. Idque praestitimus, nullo cum acerbitate sensu adversus quemquam, paterna certe cum voluntate erga gentem Gallicam; in qua quidem diligenda Nos, quod ceteroqui non potest esse dubium, Decessorum Nostrorum nulli concedimus.

Enimvero sperandum non est, fore ut institutarum contra Ecclesiam rerum cursus consistat. Quaedam his ipsis diebus eventa certissimum fecere indicium eos qui ad gubernacula sedent Reipublicae, sic esse in rem catholicam animatos, ut ultima sint brevi metuenda. - Omnino, dum Sedis Apostolicae documenta non obscure loquuntur, professionem christianae sapientiae amice posse cum Reipublicae forma consistere, ii contra affirmare velle videntur, Rempublicam, quali nunc utitur Gallia, eiusmodi esse naturae, ut nullum habere possit cum christiana religione commercium: id quod dupliciter Gallos calumnioso petit, ut catholicos nimurum et cives. - At eveniant licet quantumvis aspera; nequaquam Nos aut imparatos offendent aut pavidos, quos Christi Domini illa vox et hortatio confirmat: *Si me persecuti sunt, et vos perseguentur (Io. xv, 20). In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum (Io. xvi, 33).* Interea tamen Nobiscum vos, Venerabiles Fratres humilium instantia precum a Deo contendite, ut qui potest unus deducere unde velit et quo velit impellere hominum voluntates, auspice Virgine Immaculata, pacem tranquillitatemque Ecclesiae suae benignus matureret.

Sed iam ad lactiora convertamus animos. - Primum de duobus Beatis coelitibus ad Sanctorum ho-
mines evehendis vestram, Venerabiles Fratres, gratum est sciscitari sententiam. Nimium quantum, hac misera tempestate, Sanctorum suffragiis opus est! nimium quantum exemplo magnarum virtutum! Spes igitur est ut ducrum Beatorum nova in Sanctorum numerum cooptatio multum in utramque partem sit valitura. - Beati qui sint, iam nostis, Venerabiles Fratres: Alexander Sauli e Clericis Regularibus a Sancto Paulo, Episcopus primum Aleriae, dein Ticini; et Gerardus Maiella accensus e familia Alfon-

siana; alter a Benedicto XIV, alter a Leone XIII inter coelites Beatos adscriptus. Horum Canonizationis causam cognosci Nos ac rite tractari iussimus. Quod autem nunc fieri oportet, de eorum vita, moribus, rebus gestis prodigiis ad Nos, audientibus vobis, referri hoc ipso in loco, pro more, volumus.

Sequitur relatio Eminentissimi Procuratoris. - Relatione peracta SSinus D. N. prosequitur:

Quae vita, qui mores fuerint B. Alexandri Sauli, quo studio pro Dei gloria animisque lucrandis flaverint, ut Corsicae Apostolus sit appellatus, ex iis quae sunt exposita, Venerabiles Fratres, cumulatissime perspexistis. Quae vero de eodem ferebant prodigia, diligentissimo iudicio sunt probata. PLACETNE igitur vobis ut ad Canonizationem eius solemnis Ecclesiae ritu deveniamus?

Ei Cardinales sententiam proferunt. - Tum Eius Relator relationem instituit de B. Gerardo Maiella: qua absoluta, SSinus D. N. prosequitur:

Quae modo sunt a vobis audita testantur abunde singularem fuisse in B. Gerardo Maiella integritatem morum, amplissimamque omnigenae virtutis laudem. Prodicia vero accessisse a Deo, omnino constat. PLACETNE vobis ut ad eius Canonizationem solemnis Ecclesiae deveniamus?

Sententia prolatis SSinus D. N. concludit:

Vestras, Venerabiles Fratres, de proposito negotio sententias cognovisse placet.

Nunc vero, priusquam Episcoporum ordinem supplexamus, libet ad Armenos curas Nostras convertere. Quum enim in patriarchatu Ciliciensi Armeniorum successor dandus esset venerabilis fratri Paulo Petro XI Emmanuelian, qui in pace Christi dececerat die xviii Aprilis labentis anni, eius rei causâ Constantinopolim Episcoporum Armenio ritu, ad legum praescripta, Synodus coacta est. Die quarto Augusti superioris, Patriarcham in demortui locum elegerunt venerabilem fratrem Paulum Sabbaghian Episcopum Alexandriae Aegypti, qui Petrus pro more vocatus est, eo nomine duodecimus. De tota re qui convegerant Episcopi Nos docuere per litteras; rogantes insuper ut evectum ab ipsis ad patriarchalem dignitatem, confirmare Nos Apostolica auctoritate vellemus. Idem postulat simulque sacri Pallii honorem, supplicie libello, Patriarcha electus, edita fidei catholicae professione ex forma Urbaniana, adiectis praeterea quae a Concilio Vaticano decreta sunt. Venerabilis frater Pauli Sabbaghian egregia in Sedem hanc Apostolicam voluntas et multarum ornamenta virtutum collegarum Episcoporum testimonio abunde laudantur. Is iam episcopalia munera rite administravit; pietate, prudentia, iustitia ac modestia nec non largitate, gravibusque muneribus nitide gestis opinionem et amorem suae gentis promeruit. His de causis, atque ex sententia sacri Consilii christiano nomini propagando Ecclesiarum negotiis orientalis ritus praepositi, tam eius quam Episcoporum precibus annuendum censuimus. Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a venerabilibus fratribus Armeniis Cilicie factam de persona praedicti Pauli Sabbaghian, quem absolvimus a vinculo quo tenebatur Ecclesiae Alexandrinae ac transferimus ad Patriarchalem Ecclesiam Ciliciae Armeniorum, praeficientes eum Patriarcham et Pastorem eidem Patriarchali Ecclesiae, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimetur, contrariis quibuscumque non obstantibus. In nomine Patris ☩ et Filii ☩ et Spiritus ☩ Sancti. Amen.

ANNALES.

Russicum bellum.

Dum Mandchouria in provincie hostiles copiae, ingentes maxime utrinque congregatae, pugnam inter sese in dies magis differunt, Arthurum ad portum eruentissimi congressus Iaponiorum in dies renovantur. At Stoesselius, qui Numantinos aemulari constantia videtur, quique urbem sibi conereditam iam adeo celebrem fecit, ut Carthago et Ierusalem antiquis temporibus, ut recentiori aetate Caesa-

rangusta et Plewna fuerunt, tam acriter munitiones et oppida tuerunt, ut diuturnam adhuc obsessionem producendam omnia diaria prae-nuncient. Qua quidem mora Russici imperatores usi, suam alteram classim nordico ex Europeae litore moverunt, ut in Sinensem usque oceanum, longissimo itinere deducerent. Quod iter tamen non sine discrimine magno, maloque auspicio iam iniverunt.



Hullensis casus.

Etemen apud Hullensem oram in classiculam navia bellica inciderunt satis frequentem, ubi Angliei pescatores solent arti sua late vacare. Cui per tenebras quum illi obvenirent, visa est, inopinato quidem congressu, Iaponica eas inter navicula in suas carinas ad eas per insidias delendas concurrere. Re vera id tentatum sit neene a callidissimis hostibus nemo adhuc scit. Certum est tamen praefectum illum Russicum non dubitasse, missilibus immissis, naviculas petere. At infausti ictus non armatos hostes, sed pacificos nautas attigerunt et necarunt.

Re mane cognita, quantum Anglorum irae exarserint nemo dicat. Iamque casus belli agitabatur, atque classis omnis Anglorum, coacta ad Gaditanum fretum, parata est ad pugnam. Hinc atque inde gentium diaria iras alebant, parumque abfuit, quin dies ad arma indiceretur. Sed Gallici legati mediatores pacis fuere praesertim, et apud Russum Caesarem et apud Anglorum regem. Sedatis populi clamoribus res paullatim sapientia consulum composita est, horrendumque diserimen Europae a litoribus abactum.



Anglorum irae remissae.

Pergit itaque Russica classis viam suam, iamque tripartita ad Aegyptium fretum tendit, ut tandem in Indico oceano conveniat omnis. Verum valde etiam nunc metuunt duces ne forte obviae sint Iaponiorum insidiae. Nunciantur haec Stoesselio, qui invictus pugnat, ne urbe sua hostes potiantur, atque auxilia obvientura satis cito sperat, ut sese ab obsidenibus vindicet.



Mauritanorum atque Turcarum res.

Haec in ultimo oriente. Sed bellicus furor non ibi tantum succrescit. Nam et in Mauritanio imperio renovantur in regem Turcarum sediciones, ipseque rex, coacto ad Melillam urbem exercitu, in perduelles proficiscitur.

Nec quieta satis Balcanica litora audimus. Ibi enim tum Bulgari, tum Serbi, tum Graeci incolae coactis manipulis, latronum more sese ad invicem trucidant, iugulant, domus incendunt, vastant, simulque in dominantes Turcas odio indefesso, si occasio pateat, corruunt, neque tot inter populos, et sibi vicissim et regi adversos, qua plana via et quo pacto instauretur concordia quis facile enunciaverit, ubi tota terra quasi Vulcani igne commoveri in dies videtur, atque magnum incendium Europaeis gentibus minitari.



Austros inter atque Italos discordiae.

Similia proximo in Dalmatico litore, Inspruchii in urbe, quae nostra olim fuit, Venetia-

rum ditioni subiecta, procella civilis discordiae furit. Ubi quum magistratum venia Italorum iuventuti athenaeum conditum esset, graviter irae Austrorum commotae sunt, qui nolunt Italicum nomen suas per terras florere. Quamobrem ipsa die qua auguralis athenaei sessio celebrata fuerat, convenientes Austraci iuvenes in Italos fecerunt impetum, commissisque hinc et inde manibus pugnatum est asperime. Mox militari manu disiecta pugna, at oppressorum furor omnem domum athenaei vastavit et pessum dedit omnino.



Theodori Rooseveltii confirmatio.

Haec dum Europam commovent, Americam non minus agitatam videmus. Nam septentrionale civitatum foedus totum postremis diebus fuit in indictis generalibus ubique comitiis de praeside reipublicae eligendo. Candidati praecipui stabant aemuli duo, Parker iudex atque Theodus ille Rooseveltius, de quo fuse in superiore Commentarii nostri numero recolimus gesta. At hic longe maximis suffragiis aemulum superavit et vicit, atque per omnes reipublicae urbes magnis feris acclamatus praeses est. Viro fortissimo pariterque humanissimo haec fausta sint et felicia.



Brasiliana sedatio.

Brasilianas, contra, oras nova sedatio civilis commovit. Tirones iuvenes, qui in militari athenaeo instituuntur, inita coniuratione in praesidem reipublicae insurrexerunt: compressa tamen sedatio est, iuvenesque in vincula conieci.



Regale iter.

Sed paulo faustiora canamus. De Carolo dicimus, Lusitanorum rege, qui ad Angliam iter solemnissem eum uxore instituit, iamque Londini ad Eduardo rege humanissime exceptus est. In convivio regali vetus amicitia innovatur, quae multis abhinc saeculis Lusitanos et Anglos coniunxit.



Novus de pace conventus.

Pacificum quoque facinus, longeque magni momenti innovat interea praeses ille Americanorum, qui, uti diximus, iterum est adprobatus. Haganum enim de pace conventum alterum cogere studet, ut tot malis, ubique bellii causa congestis, aliqua tandem medicina afferratur. At, licet felicissimum auspicium sit, de rei exitu vehementer dubitamus, dum tot adhuc tantaeque cupiditates hinc inde populos agunt et commovent.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS.

In Brasilia ad instaurandam et innovandam classem rogatio oblatu est, ut viginti et octo navigia exstruantur, quibus Brasiliiana res publica parata ad omnem eventum inveniatur.

In Chilensi republica administrari quum munere sese abdicassent, novum collegium discedentibus suffectum est.

In Gallia maximi tumultus in comitiis excitati sunt ob latas administratorum praesidi rogationes de delatoribus in exercitu a bellico supremo administratore constitutis. Svetonius, populi orator, dum res agitatur, ira concitus in André illum ducem procedit et eum colaphis percudit: ob eam rem immutatis amis gubernantium collegium e suffragio integrum discedit: post paucos vero dies André dux officium deponit.

In Helvetia habitae oratorum populi electiones sunt per comitia ubique: socialistarum factionis res praeter opinionem bene vertit; at catholici oratores paene omnes ad curiam redeunt.

In Iberia contra Antonium Maura administratorum praesidem irae oratorum concitatae vehementer, eorumque artibus factum est ut oblatae rogationes diuturnam moram passae sint, ne suffragium ferre licet: res vero prudentia administrari videtur tandem composta.

In Italia habita comitia de oratoribus populi eligidis: homines evertendarum rerum eupidi valde imminutas vires retulerunt.

AENIGMATA

A FR. PALATA PROPOSITA.

I.

Arboribus patulis solis defendo calorem:
ad me fleete cito, fesse viator, iter.

Inseritur mihi vocalis? Par nobile fratum
quae peperit, fio Martis amica statim,

II.

Sum verbum? Reete sic compellabis asellum,
cui placeat cantus edere voce sua.

Sum nomen? Gladiatori do praemia summa,
saepè cui plausum spissa corona dedit.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet carmina quae a C. I. Erben, Bohemico poeta, latine reddidit Fr. PALATA, atque inscripsit:

DIES CHRISTI NATALI PRAEVIA.

Aenigmata an. VII, n. VIII proposita his respondent:

1) Cancer, Cancer; 2) Arista, Crista.

Ea rite soluta miserunt:

Ant. Tafani, Florentia. — Senior Astensis. — Guil. Schenz, Ratisbona. — Cam. Straschill O. F. M., Villaco. — Cos. Cerasoli, Aesernia. — Andr. Papay, Pruzzina. — Raim. Piera S. P., S. Ant. Barcinonen. — Georg. Némesh, Vas-Nadasd. — Gust. Grüner S. P., Joachimivaitte. — Iac. Cemazar, Costabona. — I. A. C. Oudemans; P. Wollgraff, Traiecto ad Rhenum. — D. Pettit, Dublino. — V. Zavadsky-Krasnopolky, Petropoli. — Aug. Paul, Brasovia. — Io. Stroppa, Pieße Ulmorum ad Cremonam. — Fr. Skiba, Brestau. — Am. Robert, Marieville. — Lad. Lud. Podobinski, Cracovia. — Th. Freitag, Niederventigern. — Fr. Szymanski, Niestronno. — Ios. Bok S. I., Staraviesia. — D. Le Provost, Briocen. — Ioan. Galbiati; F. Arnori, Mediolano. — Petrus Tergestinus. — Ellis. Sanchez Paredes, Corduba. — Zivirzina par., Lohnau. — Alois. Berthè, Montboron. — Herm. Gini, Aquae Taurinis. — Ios. Walter, Neo Eboraco. — E. Burg, Argentorato. — Petr. Garone, Pezzana ad Vercellas. — Coll. Scholarum Piaram Stella. — Henr. Tarallo; V. Starace, Neapoli. — Ioan. Bigiarielli, Fano. — Max. Kohlsdorfer S. I., Chyrovia. — Seminarium Vicense. — Car. Stegmüller, Sabaria.

Sortitus est praemium

RAIMUNDUS PIERA,
ad quem missa est IOANNIS BAPTAE. FRANCESIA comoedia latinis versibus scripta, cui titulus.

SATURIO.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis Phil. Cuggiani.

SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, *via Alessandrina, 87*) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congregationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

SATURIO

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

☞ IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO. ☞